QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. DECEMBRIS.

M. DIONYSIO GVERIN, Doctore Medico moderatore.

An à Cælo & Solo, morum & humorum diuersitas?

NATVRA prouida rerum dispensatrix, subinde nostris inseruiens commodis, aptum vnicuique indoli molitur fundamentum. Quos ad vilia artificia ignobilis indoles ducit, quos ingenij vigor quâ Musis, quâ negotiis dicauit, ij destinatam sibi artem ita monstrantibus fatis agnoscunt; vt omnis species animorum in suam tribum adoptetur, illâ præeunte. Nec mirum! nemo sine indole virtutem colet & gloriæ litabit. Sed vt animos adeò multis simul rebus idoneos sortiti sunt mortales, sic diuersas in corporibus propensiones, quæ à diuersitate temperiei sobolescunt: Ideóque varia & multiplex data est, nec potest illi certus finis aut terminus præscribi: quæ tamen vt τύπῳ dicam, nihil ferè est aliud quàm mistio: scilicet hæc mistilium alteratorum vnio, illa verò ratio vnionis: Mauritanis complexio, non ita exactè expressa, quatuor primarum qualitatum discordium concordia, adhuc minùs harmonia, ineptè quinta qualitas. Exquisitè temperata ad pondus, nusquam est & frustra: sed ad iustitiam, quam non malè nonnulli διανεμητικὴν vocitant. Intemperatæ innumeræ, quæ tamen ad octo reducuntur: simplices quatuor, & totidem iugatæ. Qualiscunque autem sit temperatura, ab ætatum quatuor decursu, quatuor anni temporibus, frequenti aëris mutatione, Cæli & siderum vario aspectu, soli naturâ, victus ratione tandem immutatur.

NIHIL seipsum generat, quicquid est ab alio dependet: hinc actio à temperamento non occulta, sed manifesta. Homo, quia aptus natus ad heroïcas actiones, debuit esse omnium animantium temperatissimus. mens probâ temperie longè expeditior redditur, magisque sui compos: vnius autem temperamenti vnica est actio. Hinc singulæ partes peculiari gaudent temperamento; à quo actionum multitudo, quæ hominis dignitatem decet, vt plures partes vario modo temperatæ. Cor, quia fons spiritus & caloris, Iecur sanguinis officina, vegeto calore vigent: Cerebrum, vt pars spermatica, frigidum. At verò natura homines, sicuti partes diuersis donauit temperaturis, à quibus diuersi elucerent humores, diuersi mores. quid moror? animæ vires respondent temperaturæ corporis.

MVNDVS, concinnata ex Cælo & terrâ compages, non animatus est, non æternus, non multiplex: sed globosæ figuræ à Deo creatus ex quinque corporibus simplicibus: quorum vnum Cælum nempe, rotundum, circulari motu præditum, corruptionis expers, cunctorum generationi præest, terrásque beat salutari suo influxu. Ideo non Cælum, sed aër in quo θεῖόν τι, sæuientis seminarium pestis, morborum origo, mortis nuntius, licèt vitæ Dominus; & sine eo ne tantillum quidem vitalis. Ex vario Cæli motu, siderúmque ortu & occasu varias mutationum subit vices, quibus assiduè petuntur hominum temperamenta. Sol mundi cor, planetarum princeps suo accessu & recessu ortûs rerum & interitûs potens est causa; ceteri Planetæ adiuuantes: ac proinde anni quatuor tempora (Astrorum-consultis æqualia, Medicis inæqualia) distinguit: quorum Vernum, Autumno omnibus ætatibus & naturis noxio, contrarium, saluberrimum.

ET DIVERSI terrarum tractus succo, Sole, ventis, aliisque aëris constitutionibus differunt: ita quoque varias plantas variis insignitas qualitatibus produxerunt. Tales sumus, quale alimentum, quod singulis penè regionibus vt diuersum, ita mores & habitus animalium inter se discrepant: etenim *non omnis fert omnia tellus.* Fœcunditatem non modò non vbique, sed nec in perpetuum procurauit natura: olim felices prouentibus terræ, nunc sterilibus arenis informes, infames: & quæ quondam crudo aëre horrebant, non tantùm in fruges, sed & in voluptatum instrumenta luxuriant: ex seminibus in nouum orbem translatis, fructus majores, meliores. Si terra qualitatibus & succis non esset dissimilis & disparata, sub Solis cursu feruida Lybia odoratorum non esset prodiga aromatum: neque gloriaretur Syria balsamo suo, arboribúsque thuriferis: sed in omnibus terræ regionibus & locis promiscuè omnia gignerentur; hominum quoque naturas, mores, morbos, penes regionis naturam immutari nullus est qui dubitet.

SINGVLARVM gentium non idem genius, non ijdé mores: spiritus quidam singulis mundi plagis vernaculus, nascentibus hominibus natalis soli ingenium & naturam viritim impertit: *quippe Solo natura subest.* quisque ἐπιχωρίοις τρόποις tenaciter adhæret, sic vt vulgò apud Græcos vsurpetur νόμος καὶ χώρα: Iuuat interdum peregrinari: & mutasse Cælum Solúmque morbis corporis juxta & animæ diuturnis non semel profuit. Sæpiùs peregrina præstant assuetis, mobilia immotis, fluxa statis. Ætates, naturæ, morbi, curationes, ad alia aliáque loca & tépora aliter atque aliter se habent. Etenim non semper verum est, *Cælum non animum mutant, qui trans-mare currunt.* Asiani Europæis moribus humaniores, minùs tamen egregij bello, & laboris patientes, *emollit gentes clementia Cæli.* Sed cur infœcunda gens Scythica? an, quia frigida? vel ob venarum ponè aures sectionem? fortean ob assiduam equitationem? qui tenui & defæcato fruuntur aëre montani, erecto & sagaci vigent ingenio; qui nubilo & crasso vt Phasiani obesæ naris sunt, non emunctæ: *Bœotûm in crasso jurares aëre natos.* Adeóque οἱ τρόποι συνεξομοιοῦνται τοῖς τόποις καὶ ἀστέρων τύποις.

Ergo à Cælo & Solo, morum & humorum diuersitas.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS RICHARD, Parisinus. A. R. S. H. M.DC. XXXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciscus Blondel.
M. Guilielmus Guerin.
M. Lancelotus de Frades.

M. Iacobus Mantel.
M. Nicolaus Mathieu.
M. Carolus du Pré.

M. Franciscus Mandat.
M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau. P. R.